



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Neapolitana. Nostrûm Numerus, Ingressus, Obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66514)

poscit Orvietum. quod negocium Illustrissimus
Cardinalis Simoncellus imprimis prouehit, qui
& millenos nummos aureos defert, locumque
ad nostra munera exequenda peropportunum.

PROVINCIA NEAPOLITANA.

Nostrum Numerus, Ingressus,
Obitus.



APIT A trecenta quadra-
ginta septem versantur in hac
Prouincia, decem plane domi-
cilijs. Neapoli in Professorum
domo nouem, & sexaginta. In
Collegio decem supra centum.

In Nouitiatu quinquaginta. In Collegio No-
lano septem supra viginti. Septem minus in
Aletino. In Catacensi, Bariensi, Salernitano,
Cosentino singulis senidemi. In sede Barulita-
na septem. Dissolutum est Collegium Cirinola-
num, quod oppidum erat nostris muneribus im-
par, curatumq; vt id fieret quam paratissimis
oppidanis, & fundatoribus. Mortui sunt duo-
decim, sex, & viginti recepti.

Ad fidem bonamque frugem
Conuersi.

N Eapoli in domo professa septem Turca ad Christianam religionem aggregati iucundiores quodammodo fecerunt labores toleratos in ijs conuertendis, & erudiendis. Cum in templo nostro, festo die, solempni pompa, conuentu celeberrimo Patromis, & Compatribus Principibus viris, atque Dynastis, albis ipsi induti vestibus, sacro Baptismi fonte lustrati sunt summa, piaque spectantium gratulatione, testata plausu, atque lacrymis. Captini quinque Algerij recõciliati sunt Christo, quem deseruerat. Erepta e questu meretricio per quadragesimales Conciones fœminæ sex: neue quodys fere accidere solet, prauæ consuetudinis æstu retraherentur in pelagus, per Matronas societati deuotas curatum est, vt ligarentur matrimonio, vel in alio tuto portu collocarentur. Adulescens, qui colebat societate, male cautus inijs amicitiam cum Graculo Mago, & cum Clerico Apostata, qui non vnum, sed plures ordines deseruerat. curiositate potius, quam auaritia ductus, thesauri effodiendi causa, cum ijs prope Puteolos cryptam, aut verius cuniculos quosdam ingreditur; vbi perueniunt ad inuicem locum. Memento temporis faces, lanterna, atque

NEAPOLITANA.

atque vniuersa lumina extinguuntur, & Apostata exclamans, heu, cōcidit mortuus. perterritus adolescens, perterritus Magus studijs disparibus. Ille confugit ad Sanctam Barbarā, quam præcipuam patronam colebat, procidit in genua precibus, pœnitentia, promissis precatur propitios cœlites. Hic ad incantationes conuertitur, aduocat Demones, cū sæpius verberato silice, neque scintillam ignis eo tempore impetrare posset ab ijs paulo post liberalissimis futuris. Deum, diuosque maledictis execrandis onerat. Dispari exitu hic inter blasphemias animum efflat. Ille foras euadit incolumis animam apud nostros generali cōfessione purgat, melioremque vitam instituit, satis superque doctus quid expectandum sit à malefico, & quid de homine desertore sperandum.

Catata quidam e summo templo clam subriperat Margaritas, & gemmas pretij, nō contemnendi. Vnum excommunicationis vinculum subterfugere non potuit, eoque impacto morbum contraxit, quem pluribus mensibus à se remouere numquam potuit, donec nostro suadente per vomitum alienæ rei valetudinem corporis animique recepit. Consentia vir nobilissimus, æque dissolutissimus, cultu Societatis ad eam probitatem perductus est; vt laceratus vulnibus lætalibus Deo gratias egerit, elaborauerit, vt crimen condonaretur percussoribus, & suisq; contenderit, vt idem efficerent.

Oratio in Templis, & Doctrina
Christiana.

Precatio quadraginta horarum, quæ postremis bacchanalibus instituta est, ad auertendam, vel frangendam licentiam populi furentis tantam habet celebritatem, multitudinem obuentium sacramenta Confessionis, & Eucharistiæ, ut eos dies prope addidisse videatur ad Quadragesimales. Magnam vim habuit ad populum retinendum pompa exterioris apparatus, perpetuæ conciones, adhortationes, cantus. idque iam in omnibus ferè collegijs: ex quo numerare loca singula superfluum est. & res aliqui dignissima, cum facta sit communis, ut patereatur nouis legibus annalium, proximis literis, non attingetur. In professorum Domo Traditur ibi Doctrina christiana priuatim pueris, & hominibus. at in Neapolitano Collegio diebus festis in diuersis classibus opifices octingentos prope numeros studio doctrinæ, atque vitæ christiænæ vacantes. Quæ utilitates, ex eo manarint plus habent veritatis, quam speciei vniuersa Ciuitas probat illa vero, & pio quodam animi sensu commouetur, cum elato hominis tenuissimæ cadauere spectet quingentos viros prosequentes ordine summa significatione pietatis recitantes coronam, officium B. V. virginis,

ginis, aliasue preces. at multo magis extollit,
 & cum admiratione suspicit mirum in modum
 correctam in contrahendo, & in rebus agendis
 fidem.

Congregationes Deiparæ Virginis.

Nola ad vetera sodalitia Clericorum, &
 Nobilium accessit tertiū discipulorum.
 sunt ita bonus odor Christi, vt ad scholas attra-
 xerint religiosas familias sanctorum Augu-
 stini, atque Francisci, nec nō seminarium. Nea-
 poli in Collegio, cum Regnum vsque eo mor-
 bis premeretur, & inopia. statuerunt Congre-
 gationes ad iram Diuinam placandam, vt quis
 que aliquid in medium è suis opibus spiritua-
 libus afferret ieiunia, verberationes volunta-
 rias, vsum cilicij, peregrinationes, eleemosinas,
 varias corporis afflictiones, opera misericordie
 atque pietatis. numerum attigerunt octo, & vi-
 ginti millium. & vero his thesauris vexatio-
 nes peccatis debite redimuntur. tres, & sexa-
 ginta è suis hoc vno anno exceptos à seculo in-
 cluserunt in arte religionis. quantum ibi stu-
 dium virtutis vbi ita multi ad tantum perfe-
 ctionis culmen efflorescunt? Quidam vero so-
 dalis, cui frater est interemptus iniuriam Dei-
 paræ Virgini condonata, neque priuata vi,

14 PROVINCIA

neque iudicio publico prosequi voluit. sed con-
rauit, vt percussor statim admitteretur in con-
gregationem. vt, inquit, culpam clarius agnos-
cat, detestetur vehementius, & meliore fide in-
gratiam cum Deo redeat. animum inimico red-
didit, qui corpus videbatur esse erepturus. In
professorum domo Congregatio Nobilium vsa
occasione, multorum sanauit animos, dum cu-
rat corpora; nam ad sacramentorum vsu, vi-
tamque meliorem allexit familias honestas, sed
inopes, quas pudor à mendicando prohibet ijs
nomine extraordinariæ eleemosynæ largita est
aureos mille quingentos. Quidam donauit au-
reos ducentos, vt defenderentur binæ Virgines,
quarum honestatem ipsa mater oppugnabat.
Alter Alesij mendicum vlceribus plenum, at-
que sordibus medio foro sustulit in humero, &
non sine magna omnium admiratione vsque ad
xenodochium portauit. Incertus plane sum,
vtrum referam eum, qui migraturus è vita pia
quadam simplicitate iussit, vt schedula omnes,
quæ sibi menstrua sortitione sanctorum obtige-
rant monilis in speciem contextæ de collo su-
spenderentur, vt eo, vel ornatu, vel patrociniis
munitior obuiam morti procedat.

Adiumenta Corporis.

N Neapoli cum pueri enecti fame, atque ni-
ditate reperirentur interdum in angulis
urbis

urbis extincti, ceteri ab vno professorum coacti sunt in certum locum, vbi aluntur sumptibus pie Matronæ, & opera Collegij instituntur Christiana doctrina, atque moribus. Catacæ pugnandum fuit contra famem, & contra mortem, quæ grassabantur in populum. Euitendum vt locupletissimi certos pauperes susciperent alendos. vt alijs donetur panis è publico, emendicanda stipis hostiatim, pro ijs, qui retinebantur in carcere; neque tempus erat tergiversandi, aut agendi segniter, omnibus fere in extrema necessitate constitutis. Ea q; ipsa efficiebantur, dum cuncta decumbentium, atque morientium gemitu perstreperet. vt vbiq; vel in mortuos, vel in moribundos incidere, vel cæli intempéries, vel morbi contagio, spatio brevis simi temporis absumpsit ad duo millia capitum. numerus in non maxima ciuitate maximus. atque omnibus metu percussis, nulli omnino, neq; ipsi parochi accedere audebant ad ægros muniendos sacramentis, aut in morte iuuandos. ex quo Dei beneficio totus labor, idest tota meriti seges in societatem recidit, vt clauso interdum Collegio nostri omnes numero sexdecim, nec certo spatio sumpto ad necessariã quietẽ, noctes totas, totosque dies impenderent ad varia auxilia animarum, in priuatis domibus, in publicis custodijs, inter pericula, non dubia, & contagionis, & mortis. utque id constaret apertius, tres occumbuerunt. in quibus P. Leonardus S. An-
geli

geli Rector, & qui Rectori successit P. Franciscus Moranus quorum vterque id morte sue testatum reliquit. se Rectores debuisse fratribus suis, non minus laborum, atque periculorum exemplo, quam munere, atq; dignitate præire. Salerni excitatus Mons est, quem Pietatis appellant, erarium pauperum virorum, atque honestarum Virginum. Ne illi conficiantur fenore, ne harum pudicitia propter carentiam dotis periclitetur. Hinc, fit, vt dum alienæ nos inopia subuenimus, Deus nostræ curam suscipiat. Alesij in hac summa annonæ inopia frumentum abunde suppeditatum. Templo donata lustrale vasculum, cum aspergillo, pixis vna, calices duo, Christi effigies ad pacis osculum, Crux plena reliquijs. omnia ex argento. bina ornamenta, tum sacerdotis, tum altaris, aliud ex aurea tela, aliud ex argentea. Collati aurei ducenti quadraginta, vt circumducerentur argento reliquæ, ex capitibus vndecim millium Virginum, quas transmisit R. P. Generalis. Legati aurei octingenti, mille attributi ad scholarum exædificationem. bina templi sacella exornata sunt in aurato lapide. Nola vt bina item exornentur attributi aurei octingenti; donatus lychnus pensilis ex argento. Sapro professorum vestiario supellex addita aureorum circiter sexcentorum. Domui vero hoc toto biennio erogati aurei vicies mille, quibus solutum æs alienum aureorum tredecim millium, cæteris prouisum nostræ vitæ necessitatibus.

Mis-

Missiones.

Bario excursum est in Bituntinos. Ad-
 micilio professorum, Policastrum, Tarent-
 um, Aquilam, Algerium olim saldas elabo-
 ratum plurimum in ministerijs Societatis no-
 stræ solitis. Quæ patrata sunt Aquilæ, si ge-
 nus ipsum rerum consideres vulgaria iudices. si
 vero multitudinem, opportunitatem, utilitatē,
 cætera adiuncta, sunt eximia. Cōmune est com-
 positam esse pacem inter duos fratres Germa-
 nos ex patre, sed odiorum diuturnitas, multæ,
 grauesq; cædes hinc inde patrata, scissa in duas
 factiones ciuitas, irrita aliorum in ijs concilian-
 di opera, faciunt, vt hanc ego narrationem
 ijsque persimiles ægre præteream. Captiui se-
 xaginta liberati pecunia, atque Algerio Nea-
 polim reducti, per urbem incedentes attulerūt
 populo magnam voluptatem, & incitamentum
 ad illud opus vrgendum. Consentia itum in vi-
 cinum oppidum, in quo, vt diuturnior esset po-
 puli utilitas, neue, quod ferè accidit, discedenti-
 bus nostris cuncta disfluere, prudenti consilio
 institutæ sodalitates, quæ nō suos modo fratres
 in certo quodam genere piorum operum exer-
 ceant, verum etiam alios verbo, atque exemplo
 doceant. Idem factum in oppidis Policaastro vi-
 tinis. In quorum vnum, vix credas, sacrarū imā-
 ginum cognitio fere nulla peruenerat. tunc fa-
 cultas

cultas

cultas non esset suppeditandi singulis, docti sive elegantes cruces è lignis componere, collocare in cubiculis, colere mane, atque vespere. quod tanta probatione fecerunt, vt certo die mensis, quo Christi corpus de more oppidorum circumfertur. eas ipsi manu gestarint, dum prosequerentur: laudandum pietatis indicium. ex quo incitantur ad progrediendum modestius, & ad cruces elegantiores, non sine religionis decore, atque vtilitate concinnandas.

P R O V I N C I A S I C I L I A.



E N T E N I circiter Messane, atque Panormi; hic domus Professorum cū nouitijs habuit capita septem, & sexaginta, Collegium quatuor, & triginta. Messanę verò par domui, Collegium. collegio Nouitiatus. Catana triginta numeravit. Syracuse tres, & viginti. Calataiero septendecim. totidem Drepanum. Bionna sexdecim. Minium quatuordecim. Rhegium duodecim. totidem Mons Regalis Residencia. Calataneensis quatuor; Ex quo numeravit hic annus socios omnino trecentos quinquaginta tres, eripuit quindecim, adscripsit vnum, & qua-